

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Politische Urkunden von 1266 bis 1332

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1886**

1278 - 1279

[urn:nbn:de:bsz:31-326704](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326704)

69. *Graf Simon von Eberstein schließt Frieden mit der Stadt Straßburg. 1278  
Juli 30.*

Nos Symon dei gracia comes de Eberstein notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod omnem discordiam rancorem et inimiciam, quam habuimus  
 5 hucusque cum magistro consulibus et universitate civium Argentinensium,<sup>1</sup> relaxamus et remittimus puro corde promittentes, quod dictos cives Argentinenses nec universaliter nec singulariter occasione inimicie predictae seu pro hujusmodi causa et facto non vexabimus aut gravabimus nec vexari aut gravari procurabimus quoquo modo, sed potius compositionem hujusmodi nos et nostri complices sine dolo et fraude  
 10 ratam et firmam tenebimus et tenere promittimus per presentes. si autem ex vero et justo debito aliquibus civibus Argentinensibus obligati sumus, hoc compositionem hujusmodi non tangit nec eidem est inclusum; sed pro tali debito eis justam servare debemus rationem. in cujus rei probationem sigillum nostrum presentibus est appensum. actum et datum anno 1278 sabbato post Jacobi apostoli.

15 *S aus Straßb. St. A. Briefbuch A fol. 59 b mit der Ueberschrift daz grafe Symon von Eberstein vershinet wart mit der stat zū Strazburg.*

70. *Bischof Konrad von Straßburg gibt dem Abt von Schuttern den Auftrag, die Straßburger Dominikaner gegen ungerechte Bedrückung zu schirmen. 1279  
Juli 26 Straßburg.*

Cunradus dei gratia Argentinensis episcopus viro religioso et discreto . . . abbati de Schuttera salutem in domino sempiternam. quamvis karissimi nobis in Christo fratres ordinis predicatorum conventus Argentinensis studeant officium suum adeo laudabiliter exequi, quod apud omnes possunt stabilem benivolentiam promereri, non desunt tamen, ut accepimus, aliqui nostre diocesis clerici et laici, qui presumptione  
 25 dampnabili ipsorum quietem inquietant multipliciter et perturbant. plebani namque et cappellani ac vicarii ecclesiarum, ut asserunt, non sinunt ipsos aliquando uti privilegiis et graciis seu indulgentiis ipsis a sede apostolica et a nobis ac antecessoribus nostris concessis, in tantam prorumpentes audaciam, ut excommunicationis sententias fulminent vel se laturos comminentur in subditos proprios, ut sic ipsos  
 30 a devotione eorundem ac salubri familiaritate revocent et restringant. aliqui vero elemosinas, ut dicitur, ipsis fratribus in ultimis voluntatibus morientium deputatas vel aliter donatione inter vivos vel causa mortis collatas detinent nec legata ipsis procedere sinunt, successionis titulum vel quid aliud frivolum pretendentes. nolentes igitur dictos fratres, quorum meritis et operibus fructuosis nostra plerumque onera  
 35 in actionibus spiritualibus sublevantur, et quorum supplicationibus beneficia nobis celitus a patre luminum descendencia procurantur, indebite molestari discretioni vestre, de qua gerimus in domino fiduciam pleniorum, injungimus dantes firmiter in

<sup>1</sup> Vergl. nr. 34.